



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 335/19/1


DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino FRANCISCO Divina Providentia Papa tributarum, Excellentissimo ac Reverendissimo Patri Domino AMADEO RODRÍGUEZ MAGRO, Episcopo Placentino in Hispania, benigne concedit ut diebus X Maii MMXIX et XXXI Maii MMXX, quibus Baetiae sollemniter aperietur et claudetur iubilaris Annus Sancti Ioannis de Abula, post litatum Divinum Sacrificium, impertiat Episcopis, canonicis aliisque presbyteris, diaconis, religiosis viris ac mulieribus, confraternitatum sodalibus omnibusque christifidelibus laicis adstantibus, qui vere paenitentes atque caritate compulsi iisdem interfuerint sacris, PAPALEM BENEDICTIONEM cum adnexa plenaria Indulgentia, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui PAPALEM BENEDICTIONEM devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, plenariam Indulgentiam, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XXV mensis Martii, anno Domínicae Incarnationis MMXIX.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens